
T. Finckius.

Ενδοξα παράδοξα.


1587.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

52-26
4°

LN 597
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

ΕΝΔΟΞΑ

ΠΑΡΑ´ΔΟΞΑ.

Ea

D. N. A.

in

AGONEM PHILOS.
AC MED. AMPLISS
IST. COLL. IN IN-
clyta Baſil. Aſſenſu

pro

S. V. G.

THOMAS FINCKIVS
Flensb. Duc. Sleſu.

prop.

Ad diem 5. Auguſti.

TVBINGAE.

Apud Georgium Gruppenbachium,

M. D. LXXXVII.

52,-26.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

NOBILISS. ATQVE GENEROSIS.

D. CHRISTIANO BARNEKOVV DANO:

D. HONORIO A SAVRAV STIRO,

Hæc Philoſ. ac Medic.
Pronunciata
in numerorum ordinem
coniecta:
Non Vera quidem illa omnia:
Veritatis tamen ſpecie obuelata:
Eriſtica, didactica:
Amicitiæ
Virt. ac opt. art. occaſione
Cum D. SAVRAVIO in Gymn. Pat. contractæ
Cum D. BARNEKOVIO in Acad. Baſ. initæ memor
Sui in ipſos animi conſtantis argumentum
D. D.

Thom. Finck.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

METAPHYSICA.

I.

PVISSE quidem homini nouerca, Natura putatur: quæ eum ita nudum, egenum, tot ignorationis atque vitiorum hoſtilibus expoſuerit armis.

2. Piam tamen illam exſtitiſſe matrem, in confeſſo apparet: quippe quæ inſita ei naturali ſciendi appetitione, vberrimaꝗ; perfectionis reliquæ adipiſcendæ promptitudine & occaſione, ea vitæ ſubſidia putatæ iſti imperfectioni coniunxerit, quibus rectà poſsit ad tranquillitatis & beatitatis faſtigium vel ſolus conſcendere.

3. Animo perficiundo Philoſophia præfecta eſt: corporis expoliendi curam Medicina ſuſcepit.

4. Pro duplici autem indigentia, animíꝗ; perfectione duplici, duo Philoſophiæ membra fiunt.

5. Quanquam etiam in bimembrem illam Philoſophiæ tributionem & diſtinctio graduum vltimi finis, hominis, duplex rerum tractatarum conditio, duplex Philoſophiæ finis, duplexꝗ; principalis animæ rationalis facultas pulcerrimè conſentiant.

6. Altera eius pars mentis aciem ab ignorationis caligine purgat: morum compoſitioni, vitęꝗ; in vita benè tranſigendæ altera præeſt.

7. Illa planta q. fœcundiſsima exſiſtit: hic fructus eius ſalutaris: illa fontis perennis ſcaturigo: hic riuus inde redundans vberrimus.

8. Illam Philoſophiam theoreticam dixere: hanc practicam, moralem, ciuilem, humanam.

9. Eſt, vbi Philoſophiæ nomen illa ſola ſibi aſciſcit: nec forſan immeritò.

10. Partes illius tres eſſe tuemur, ſcientiæ ſigillatim nomine digniſsimas.

11. In ſcientiarum interim ad ſubſtantiarum genera, tributionem conſenſum damus.

12. De illis autem vniuocè, an æquiuocè ſcientia theoretica prædicetur, quæſitum eſt. Nos vtrumꝗ; tuemur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

13. De ſubalternatione duarum poſteriorum aſſenſerunt nobiles philoſophi. Sed quid obſtat, quo minus negantem tueamur partem?

14. Inter ſe autem ſi committantur, dignitas obiecti Metaphyſicam inprimis ponit.

15. De certitudine indeq; nata dignitate quęritur: An quæ obiecti firmitas eſt, ea dictis conſentit?

16. Quę autem è rationum ac demonſtrationum robore enaſcitur, ea eſt, qua Mathematica excellere putatur.

17. At iniquam illam comparationem ad ea, quæ omnibus non adſunt.

18. Quid enim? Metaphyſicam nec demonſtratione, nec definitione vti, teneri poteſt.

19. Abſtractionem ſpectas: ea dictis reſpondet, in medijs autem Mathematicam ponit.

20. Doctrinæ ſeriem: Mathematica ordinem inuertit, & phyſicæ ratione.

21. Vt autem Philoſophiæ iſtius dignioris varietas nominum in variam eſt relata conſiderationem: ſic ſplendor dignitatis vota eidem tribuit. Vt Philoſophiæ primæ, Philoſophiæ eximiè, Theologiæ, ſapientiæ, vniuerſalis ſcientiæ, &c.

22. De cuius ſanè ſubiecto quæſtio in promptu eſt: reſponſio anceps.

23. Ens, qua ratione ens eſt, pro exæquato ſubiecto aſſumere, clariſsimi quiuis philoſophi Peripateticum ſtatuunt: at quid illud ſit, non vna eſt omnium opinio.

24. An quia ens in iis eſt, quæ in vnam relata naturam dicuntur: in huiuſcemodi autem ſubiecto ſcientia propriè primi eſt: meritò ſubſtantiæ contemplatio Metaphyſicæ commiſſa ſtatuitur?

25. Nec propterea aut ternio ſcientiarum perit: aut illa vniuerſalis eſſe deſinit ſcientia.

26. At occupatæ alienæ poſſeſsionis rea: non tamen damnata.

27. Vt autem? an quatenus exſiſtendi nactum eſt principium?

28. At quid de mentibus ſeparatis? Et principis ſubiecti

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

ſecti locum eis magni viri condonant : & in ſubiecti principijs ponunt.

29. Id ratum? ſi poſtulatum obtineant.

30. Sapientiæ nimirum ens in principia, & ea quæ indè exſurgunt, deductum ſubijciunt : illud verò intelligentiæ, hoc ſcientiæ committunt.

PHYSICA.

31. Poterant indè philoſophemata plura hauriri : ſed Phyſica iam admonet de tabula manum.

32. Scientia ſanè vt per ſe expetibilis : ſic omnibus inſuper diſciplinis & commodo & ornamento futura.

33. De cuius ſubiecto plures quæſtiones ſunt, quàm difficultates.

34. Quid enim ens mobile : quid ſubſtantiam naturalem : quid ſubſtantiam ſenſibilem : quid res generabiles & corruptibiles huc malè ſeducunt?

35. An non ſatius fuerat, corpus phyſicum in conſenſum admittere?

36. An vt mobile? id nequeo : ſi modò in ἀναπόδεικτον reduci conſenſum fuerit.

37. An vt naturale? haud diffiteor : ſi pro eo interpretari liceat: quod motus inſitum habet principium.

38. An procliuius adhuc : ſi pro eo quod Naturam accepit?

39. Natura autem principium eſt mobilitatis & quietis, ei cui ineſt primò, per ſe, & non ex accidenti.

40. Cur non motus? ancipiti illud voci acceptum.

41. Motus tamen illa principium etiam actiuum : & forſan magis, in id quidem multi proni ſunt.

42. Sed magis altera arridet ſententia.

43. Hincne cœleſtia excluſa ſint, quæſitum eſt. & non excluſa puto.

44. Sat enim in analogis plura conuenire.

45. Subiecti autem certa interim ratio eſt: analoga enim tum ſub eodem ſunt, vbi par conſiderationis ratio.

46. Vtri autem primo Natura competat, nondum conſtat. at mortalibus competere, probabilius eſt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

47. Phyſicę autem in partes tributio, partiumq́; προϋπα δεκτικὰ ſtudiosè exquiri ſolent. Nos, ſi ἐπέχειν non liceat, peripateticam in communem & propriam.

48. Atq; ex cuius fabrica iſthæc deduximus: in reliquis ab eodem vix diſcedimus.

49. Ακρόασις physica illa eſt, quæ ut maximè corpus naturale abiunctum adhuc à ſpeciebus ſibi aſciſcat: pleraque tamen illius mortali verè competunt: analogia cœleſtibus ea condonat.

50. E` principiis corporis naturalis, Materia prima quia æterna, ideò nobilis ac perfecta? imò imperfecta & ignobilis.

51. In affectionibus, motus eſt actus entis potentia talis: & actus motoris in mobili.

52. Nec tamen vox eſt vniuoca.

53. Et continuus eſt, ac ſucceſsiuus: non ęquè tamen omnis.

54. Itaq; forma motu acquiſita partibilis exſiſtit, temporeq; menſuratur.

55. Nec mutationem excludo. Generationem enim omnem in tempore fieri, ἐνδοξότατον eſt.

56. In materia omnia quæ ſunt, transmutari μεγαλίαν αἴτημα.

57. Mutationum autem cauſſa efficiens in cœli lationem refertur, potiſsimùm luminarium.

58. Et quid enim dubitamus, caliditatem cœleſtem in infimam vſq; terram progredi: frigiditatem autem in extremum vſq; ignem.

59. Cœlum ſanè nobilius eſt corporibus inferioribus, & dignius.

60. Cui & ſua ineſt materia, ſine tamen priuatione: & forma quoq;.

61. Intelligentia autem æterno id motu rotat.

62. Quid ſi illi hæc ſola forma?

63. Cœli physicomathematica nobiliſsimam peperit Aſtrologiæ ſcientiam: ſub qua & faſtorum ratio, gnomonice, &c. vnde nos quædam ἐν παρόδῳ.

64. Cœlum nec orbibus, nec ſphæris concinnatum eſſe.

65. Mo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

65. Motum eius vnicum ab ortu in occaſum.

66. Moueri inferiora corpora iſthoc motu omnia.

67. Adeò vt ne terram irrequietæ illius obuolutionis expertem credamus.

68. An autem in cœlo circuli? Si viæ & motus ſtellarum veſtigia intelligantur, non diffiteor.

69. Et per terminos dimenſionis mundi illati non ſine ratione admittuntur.

70. Hos ſeptem generibus, præter enim tres vulgares, & hectemorĳ ſunt, & catabatici, & poſitionales: cum ĳs, qui extra omnes mundi cardines deſcripti intelliguntur.

71. Terræ ſuperficiem aut molem non æquo interuallo à cœlo vndiq́ꝫ abeſſe.

72. Stellas inæquali latione nobis obuolui, res certa eſt: inæqualiq́ꝫ apparere corporis luminisq́ꝫ magnitudine.

73. Inæqualitas illa hypotheſibus originem præbuit.

74. An autem vera illa ſit ἐκκεντρότης, & ἐκκεντρότητος varietas, magni philoſophi dubitarunt. Ego ſilentio Pythagorico tantiſper inuoluam, donec de corporum difformitate & propria, & è mutua inter ſe congreſsione enata, quod ratum ſit, habuero.

75. Pro firmando in calendario ęquinoctĳ die æqualem anni periodum ſolam in conſilium adhiberi, ſatis non eſt.

76. Nec ergo inde enata proſthaphęreſis ſufficit.

77. Plana horologiorum maximis mundi circulis parallela eſſe volunt: nos pro maximis habemus.

78. Da planum, in quod mundi polus arcu meridiani, maxima obliquitate zodiaci minori, inclinetur: in eo vmbram gnomonum bis in die regredi obtinebo.

79. Sed nimis de his multa: ad mixta aggrediamur, duplicis exhalationis ſoboles.

80. Ea ex terra tantùm & aqua conſtare, non immeritò tuemur.

81. Nullo autem feruntur ex ſe, nec ſimplici, nec mixto motu.

82. Horum alia ita conſtant obſcurè, vt non immeritò

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

rito in affectionibus elementorum à ſua natura recedentium habeantur.

83. Ex hoc tamen ordine Cometam eximo: nec in hanc claſſem Galaxiam admitto.

84. Quę autem effoſſa dici poſſunt generali voce, illa ſunt, quæ ſynceras mutationum vices experta, perfectiùs & conſtantiùs cohærent.

85. Vaporoſam exhalationem exſuperantem metallicorum eſſe ductilium fuſilium, ſiccam igneſcentem reliquorum ſubterraneorum, Ariſtoteles docuit. Sed laudem meretur poſteriorum diligentia.

86. Cryſtallus quare ſexangulis naſcatur lateribus, non facilè rationem inueniri poſſe, ille putabat.

87. Et ſanè formatricem hic nullam ſchola Peripatetica agnoſcit: qualis eſt organica animæ aut artificis intelligentia.

88. Si conſtans figura ſit: forſan illa aut continenti corpori, aut variæ appoſitioni nouæ materię, aut in eius diuiſione neceſſitati completionis loci accepta referri poteſt.

89. At quæ cuncta hæc effugiunt, quæ in libero aëre exſilientia commutata priùs in priſtinam redeunt figuram, ſilentium nobis imponunt.

90. De tuberibus res certior eſt. Nolim enim vitium terræ in ſe globatæ.

91. In ſtirpium ordinem iam admiſſa ſunt.

92 Has è partibus in genera tribui, peripateticum eſt.

93. Partes autem ſi eæ ſint tantùm, quæ vitam communem cum ſtirpe viuunt, eiꝗ demum commoriuntur: Ergò non malè duo ſumma ſtirpium exſurgunt genera, Cyematis plantæꝗ nomine: partis illic vnius, hic duplicis.

94. Atꝗ vt illud ſuperficie tantùm deducitur, aut radice ſemper ſuffoſa, aut è radice ſæpiùs enata ſuperficie: ſic lignoſi caudicis, aut ligni expertis caulis varietas plantæ conſtituit genera.

95. Si verò & eæ in partibus numerentur, vt meritò, quæ generationi dicatę ſunt: alia hinc ſummorum generum conſtabit enumeratio.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

96. An autem ita ſumma ſint illa futura, vt ſtirps omnis & vitam ſibi viuere, & in ſpeciem ſuam in naſci, eamq́ propagare apta nata ſit: id maioris ocij relinquo.

97. Animalium ſtatus iam longè eſt nobilior: quorum magna eſt varietas, vix commodè in genera relata. Nos iſthæc à magnis viris accepta iudicanda proponimus.

98. Animalia loco moueri notis paribus, res dubia nō eſt.

99. Iam quę quatuor mouentur ſignis, perfecta ſunt & ἔναιμα.

100. Hucne ſerpentem? Quidni? Signa motionis non apparent: binæ tamen duorum gyrorum partes animaduerſę ſunt.

101. Quę verò iam manifeſta progreſsionis ſigna habent, illorum alia homogenea habent: pinnas quidem piſcis, pedes quadrupes.

102. An eò etiam cetus per fiſtulam reſpirans?

103. Heterogeneæ notæ binorum pedum ſunt: tumq́ binarum aut manuum, vt hominis: aut alarum, vt auis.

104. ἄναιμα autem molli, cruſtaceo, teſtaceo, inſecto, deducuntur.

105. Inferiora genera generumq́ fontes reſerare, in latiſsimos affectionum campos excurrere, locus non permittit.

106. Illud Coronidis loco quæratur, An quę ſemine, ea è putri emergere poſsint viuorum genera? Id verius eſt, vt quædam ſemine ſolo, quædam putri tantùm materia, ſic quædam vtroq́ modo enaſci.

MATHEMATICA.

107. Nunc autem exoptata nos Mathematica auocat, malè à Philoſophi partibus excluſa.

108. Quanquam interim, niſi de alio ei ſubincto proſpiciatur, vix locum tueri poſsit.

109. Sed de eo totaq́ ſcientiæ Mathematicæ conſtitutione aliàs: nunc quædam obuia.

110. Lineas rectas in eodem plano nec parallelas exſiſtere, nec concurrere tamen: at finitas.

111. Si verò infinitæ illæ ſint: tunc inæqualitate lateris vnius & reliquorum trianguli laterum abutuntur ij, qui eam huc pertrahunt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

112. Añguli plani rectilinei biſſectio Euclidea ſatis eſt.

113. Triſectionem recti, optici præclarè docent.

114. At pro obliquo Scholiaſtis elementorum adducta demonſtratio non ſufficit.

115. Triangulum æquilaterum ad datam rectam opera circini quouis modo cruribus diductis, ita vt nec diſtantia crurum mutetur, nec alia linearum fabrica præter optatas duas neceſſaria ſit, conſtitui Geometricè poteſt.

116. An & in reliquis ordinatorum generibus ea eſt fabricarum Geometricarum fœcunditas?

117. Fabrica pentagoni mechanica vulgaris æquilateri quidem eſt, at non æqui anguli.

118. Circulo quadratum ęquale lineari poſſe, dubium eſt.

119. At de ratione peripheriæ ad diametrum Siſyphi ſaxum voluitur.

120. Circuli ſe inuicem ſecantes homocentri eſſe poſſunt.

121. Regulam ſeu veri, ſeu falſi, ſeu potius de putato inuenti, non admittere varietates omnes, certum eſt.

122. Nec tamen ex vulgari eius fabrica, quæ admittantur, conſtat.

123. Adde nouam, vt vnico theoremate, ſic fabrica vna regulæ aureę contineri ſine vlla ſignorum exceſſus defectuſ'ue difficultate. Ea autem ex analogia differentiarum bis ternorum certis conditionibus conuenientium ortum ducit.

124. Dodecaedro cœlum Platonici aſſcribunt, terram cubo: intermedijs corporibus ordinatas figuras reliquas attribuunt. Si Matheſin ſpectes, magna id ratione.

POLITICA.

125. Sed infelicitatis eſt omnia θεωρεῖν. Vela contrahamus: mentis pulſa caligine, in portum Philoſophię, humanarum actionum magiſtræ, nos recipiamus.

126. Ea cum altera collata, multis nominibus ignobilior putatur.

127. Sed homo ſolitarius, aut Deus, aut beſtia: actionis laus omnis. Quid ergo ei dandum ſit, facilè cordati viri animaduertunt.

128. Eius certè neceſsitatem in vita cum animaduertiſſet Socrates, ſcimus, quid in ea operæ poſuerit.

129. Opti-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

129. Optim'e illi, qui vtraſq; coniungunt, natura ſibi iunctiſsimas: ne Polyphemi inſtar in cæcum ingrediamur mare.

130. Honore ſapientia digna eſt: prudentia laudem meretur. illuſtris illa parens: generoſa hæc proles.

131. Et quin ipſi etiam conferat Philoſophiæ, quid dubitamus: cum animum, vt contemplari apt'e poſsit, perturbationibus ea liberet?

132. De eius artificioſa conſtitutione & partitione lis multa eſt: nos animo ſumus tranquillo.

133. Quæ eiuſmodi diſciplinarum ratio eſt, duas principes inuenimus partes.

134. Prior in finis & ſummi boni expoſitione poſita tota eſt: poſterior ea interpretatur media, quibus ſine illo ſocietas ciuilis beari poſsit.

135. Cùm autem variæ finitionis ſummi boni & intelligantur & exprimantur partes, mirum non eſt, varias tractationis illius in politica de moribus inſtitutæ, partes effici.

136. Præintelligitur aliorum bonorum mediocris copia, etiam fortunę.

137. Quę ipſa tamen aut in corpus, aut in animum redundant: in illis nobilitatem numero: his honorem aſſcribo.

138. Nobilitatis ocioſum nomen non eſt: magna illius laus eſt, magnusq; honor.

139. Eſt autem illa virtus generis, confirmata ſucceſsione multorum, qui talibus procreandis apti ſint.

140. Generoſitas autem ea demum eſt, quę nobilibus viris, vt amorem conciliare, ſic honorem verũ promereri poteſt.

141. Si tamen ad alia nobilitatis nomen deducas, non mal'e illi, qui plures nobilitatis effecere gradus.

142. Et cert'e Conſpiratus omnium exactam nobilitatis formam videtur conſtituere.

143. Id mirum, in viro nobili virtutem admirabilem non exſiſtere, eidem tamen educationem exactã neceſſariã cenſeri.

144. Honor iam in alia quidem refertur: potiſsimùm autem eſt præmium virtutis à competente eius iudice, viro probo, tributum.

145. Et cum quæritur, pueris'ne conueniat: is non ſum, qui neget: vt enim maxim'e propria ratione non competat: ſpei tamen futuræ virtutis is dandus eſt.

146. Gradus honoris cum ratio meritorum tribuit, tum

 hono-

honorandorum varietas, & demum quæ in meritum ſymboli loco condonari ſolent.

147. Qui ſanè verbis honor initur, viuus potius: qui gradum dignitatis & memoriæ concernit, exſiſtit conſtantior: res autem dono tributas vtiliores putari video.

148. Num honorati potius ſit, an verò honorantis, dubitatum eſt. Varia honoris ad varia diductio ſimplicem reſpõſionem non admittit. Ac promptum eſt, modò vnius, modò alterius magis eſſe.

149. Exinde ſatis. Altera Philoſophię huius pars in expoſitione reipub. & legum abſoluitur: quæ inſtrumenta ſunt inducendæ in ciuitatem felicitatis.

150. Vellem iſta minutius: verùm in campos Medicinę latiſsimos auocatus, hoc quidem tempore non poſſum.

MEDICA.

151. Animum quidem ita Philoſophia expolit eius tamen expolitionis vix vllus conſtare fructus poteſt: niſi, quod optandum ille putabat, corpore fruatur ſano.

152. Huic Medicina incumbit: tanto honoratior, quanto magis illius robur ac ſanitas, aut per ſe expeti debet, aut voluptatis & felicitatis gratia exoptari.

153. Scientiàne illa ſit, an verò ars, dubitatum inuenio. Et, nullo tamen ægrotorum damno, in varias itũ eſt ſententias.

154. Artẽ eſſe magis admitto: & quidem artẽ bene medẽdi.

155. Nec velim eam in theoreticam & practicam: malim in eam quæ finis reſolutioni incumbit: & alteram, quæ media interpretatur, pro fine obtinendo accommodata.

156. In his mediam alterutri aſſcripſeris, non incommodè: rectius tamen præmiſeris.

157. Bene mederi pro quauis ſanitatis effiicientia interpretor: ſiue tuitionis illa ſit, ſiue recuperationis exſiſtat,

158 Atq; illa ſumma artis medicæ lex eſt: vnde, è generali tanquam indicationum fonte, reliquæ omnes emanant.

159. Indicationem hic enthymema medicum accipio: in quo, è poſita indicantis natura, agendorum omnes circumſtantiæ, quæ in conſultationem medicam veniunt, concluduntur.

160. Indicans autem & in corpore præſens requiritur: &

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

vnius indicati vnum: cuiq; ab indicato & poſsit,& tantum poſsit medela parari.

161. Vnitatem autem cum circumſtantiarum conſultationis medicæ multitudine ſtare,nil eſt,quod prohibeat.

162. Quanquam interim,vt alibi,ſic hic diuerſo acceptionis modo.

163. Conſultationis medicę capita præcipua in genere indicati inſtrumenti medici, & recta eiuſdem adminiſtratione poſita inuenio.

164. Atque vt propria indicantis natura quid agendum & inſtrumenti genus indicat:ſic nunc, ſic hic,ſic magis minùsue acturum indicans,hoc illòue paſſurum modo,è pręſenti tamen agendi patiendiúe vigore collecto ratiocinio, rectam adminiſtrationem tempore,loco, quantitate & modo circumſcriptam indicat.

165. Fit in hoc diſcurſus ordine,vt alia indicato ſæpe conſentiant,idq; permittant:idem verò alia prohibeant.

166. Electi autem indicati genera vltima materias medicas appellari,in ſcholis Medicorum ratum eſt.

167. Quæ ipſæ iam è ſinu diuitis naturę depromptæ, illæ ſunt,quæ poſſunt in vſum medicum legi & præparari.

168. Vt ſanè nil tam in abditos terræ cuniculos abierit:nil tam profunda vaſti oceani abyſſus receperit, quod materię medicę nomine contineri nequeat.

169. Solum cœlum hinc excluſum videtur:quanquam interim ſcio, etiam à Philoſophis nonnullis admiſſum,in characteres artificioſos cœleſtium congreſſuum vim inferri poſſe.

170. Hæ autem,quæ acceptæ ſunt, in varias relatæ ſunt claſſes:præcipua autem ea eſt, quæ prægnantis naturę varias & penè ἀῤῥήτους facultates reſpicit.

171. In quarum ſingulis & varij enumerati ordines inueniuntur, & magna inſuper ordinum animaduerſa eſt amplitudo.

172. Potiſsimùm autem primùm alterantium.

173. Numero quidem à temperato quatuor,ternis multiplicati claſsibus.

174. Et Græcæ Medicinæ illa eſt à ſenſu petita facultatum diſtinctio:primò temperatum corpus alterare quidem,non tamen euidenter,mox manifeſtè,tum vehementer,demum ſummè.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

175. Pro regula nimirum hominis eucratum corpus ponitur.

176. Quanquam & ea efficientiæ ratio in propriam inſtrumentorum naturam, inq; miſtionis ſuperantis'ue, vltra temperatum, proportionem magna reuocetur probabilitate.

177. Adeo vt pares in temperato conueniſſe contrariorũ partes putentur: in ordinibus verò exceſſus partium exſuperantis ſit paritate reliquarum manente.

178. Itaq; ſi putes nullum eſſe contrariorum in ordine vltimo ab alterutra conſtituentium partium exceſſum, & cõſenſus denegatur, & miſtorum naturæ repugnas.

179. De exceſſus verò analogia quæſitum eſt. Et ſunt, qui Arithmeticam malint: ſunt, quibus Geometrica placuit.

180. Et illic quidem: num de tota ordinum amplitudine par gradui numerus exſuperanti condonandus, ſumma autem reliqui conuenientibus contrarijs ęquè tribuenda? Si priora habeam, non aſſentior.

181. An totius quidem terminorum vltimorum exceſſus partes quartæ proximi antecedentis exſuperantis contrarij partes adaugent? Anceps illud.

182. Prius enim de exceſſu iſthoc ſtatuendum, quàm hypotheſis admittenda.

183. Verùm ſiue ea ſit ratio extremorum, vt vix quartæ contrariorum partes exceſſuum ordines conſient, ſiue tanta, vt exceſſus partitio in integris partibus differentias ponat: vix cõmodè tantam actionũ varietatem ſimplici differentiarum analogiæ acceptam retuleris.

184. Ingenioſiſsimus Arabs Geometricam aſſumit: conſenſerunt magnæ authoritatis medici non pauci.

185. Tum poſita paritate, quæ temperati ſunt, in exceſſuum ordinibus, partium: exceſſuq; ſic proportionato, eam analogiam arripit, quæ exceſſuum inæqualitatem æquare poſsit: eam verò, quæ, terminorum antecedentium omnium è poſteriori proximo ſubductione, æquos relinquat.

186. Huc autem dupla redit.

187. Iſtis poſitis, rationum terminos inueſtigat. Qui liberi eſſe poſſunt, manente analogia.

188. Quo nomine magis mirum videri poteſt, alterum Arabem, Medicorum cenſorem, ex multis partibus in proportio-

portione enatis , in hanc exceſſuum analogiam inſurrexiſſe.

189. Si quem enim res ea offendat, per me exſuperantis in tertio partes tres tantùm ſtatuat, modò analogiam non turbet.

190. Et poteſt idem in Arithmetica analogia deſiderari, potiſsimùm ſi claſsibus ſuis multiplicati ordines in homogeneum partium numerum tribuantur.

191. De ternis graduum claſsibus quæri poteſt. Et ſi graduum heterogeneorum claſſes æquæ conferantur, forſan analogia eadem.

192. De ijs autem, quę in eundem gradum incidunt, nil video animaduerſum. An, quia non magna eſt ſtationum, illarum, efficientiæ ratione, diuerſitas, non incommodè exceſſus, terminorum gradus cuiuslibet, ęquè in ternas tribuuntur partes?

193. Et forſan exactius ſic ad ſcopum huiuſce digreſsionis collimabimus, in huncce graduũ ordinem cõpoſita reuocaturi.

194. Atq; ſic alterantium ſe gradus habent: qui tamen, non eodem quidem modo, aſt ſua ratione, etiam purgantibus reliquiſq; medicorum inſtrumentorum facultatibus ineſſe deprehenduntur.

195. Superſunt lectionis atq; pręparationis capita. Quò omnes actionum medicarum claſſes, quæ in inſtrumentorum ratione præſcribi poſſunt, reuoco.

196. De lectione parcius. Summam loci temporiſq; rationem habendam eſſe, non diffiteor.

197. Eò tamen non prouehor, vt minutiora cœleſtium conſtitutionum tempora in conſenſum admittam.

198. Et vt maximè: Medicòne tempus præſcribes, quod ei certò finire nequeas?

199. Præparationis inſtrumentorum & vtilitas magna eſt, & ſumma neceſsitas.

200. Fine quidem multiplici: potiſsimùm vt conſilio medico aut iam ſatisfaciant, aut futuro tempore ſatisfactura illęſa conſeruari poſsint.

201. Differentiæ eius præcipuę à modo pręparandi deſumi poſſe videntur: ita tamen, vt cùm ſubiectæ materiæ ratione, tum finis & inſtrumenti, in alias atq; alias referri claſſes haud incommodè poſsint.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

202. Et erit hac ratione præparatio vnius aut plurium: illa coniungendis aliis aut diſiungendis partibus occupata, coniunctiuæ & diſiunctiuę nomen obtinebit: hęc κατ' ἐξοχὴν compoſitiua dicetur.

203. Coniunctiuæ, prout varia ſunt illa, quę coniunguntur, varia genera exſtant. Hinc ſuffitio, affuſio, impręgnatio, maceratio, nutritio chymica, illitio, incruſtatio, infixio, aſperſio ſępe alternata, infartio, &c.

204. Diſiunctiuę genera multa accepimus. Nam aut in continuitatis tantùm diſſolutione exſiſtit, aut vnà cum ea contiguitatem ſoluit.

205. Atq; hęc quidem partes alias tollit, vt exuſtio & corruptio: ſiue blanda illa ſit chymicorum putrefactio, ſiue violenta in aquarum ſtygiarum ope.

206. Aut eas relinquit, ordine quintuplici potiſsimùm contenta, ablationis, extractionis, emiſsionis, tranſmiſsionis, expreſsionis: ſiue vi comprimente illa fiat, ſiue chymica illa ſit reſoluentis, elicientis, educentis caloris.

207. Iam compoſitio plurium conſilio medico potiſsimũ inſeruit, ſępe etiam exoterico ſatisfacit: illic quidem neceſſaria, hic tamen non contemnenda.

208. De partibus, quę exoterico ſatisfaciunt, coniectura ex iis fiet, quę Medico inſeruiunt: in quibus baſis eſt pręcipua.

209. Baſis loco eſt materia indicati, in genere inſtrumenti medici, penitus indicationis ſcopo non ſatisfaciens. Quanto tamen proximius, tanto magis baſeos nomine digna.

210. Vnde mirum non eſt, baſin modò ſimplicem, modò multiplicem exiſtere.

211. Et quia proximè tantùm ſatisfacit, differentię ratione plures conuenire partes neceſſum eſt.

212. Illud enim arctè, à baſi reliquas potiſsimùm indicari, tenemus.

213. Quot autem à vero partibus abfuerit, tot conuenturę partes videntur.

214. Eam autem à vero abitionem in duobus tantùm pono. Aut enim diminutè baſis aget, aut deprauatè.

215. Nec enim non acturam admitto.

216. Im-

216. Impedimentum tamen agnoſco: & tanquam minus acturæ aſſcribo.

217. Quò etiam illud refero: Si facultatem quidem habeat, quam amiſſura putetur.

218. Num & paſsi ratione, quòd actionem agentis nullam ſuſcipiat? Equidem miror: nec enim tum pati aptum natum eſt, & ſi tale: prognoſtico.

219. In deprauatæ autem actionis genere: ſiue ea ſubſtantiæ ratione fiat, ſiue quantitate, ſiue qualitatum ordine multiplici, ſiue deniq; latione & vbi: etiam iuſto plus acturã repono.

220. Itaq; ad baſin duæ ſæpe aggregandæ partes erunt: diminutionis ratione adiuuans: deprauationis corrigens.

221. Atq; vt ex indicantis variè conſiderati varietate adiuuans modò augens eſt: modò aut detinens, aut deducens: modò conſeruans: ſic varia corrigẽtis exſiſtunt genera, prout prauæ illius actionis variæ claſſes deprehenduntur.

222. Res leuior hactenus fuit: quantitatis autem menſurę́q; ſingulorum multo maxima exſiſtit difficultas, cuius certa inuentio vel ſoli Æſculapio.

223. Et quod partes compoſiti attinet: ſi numerum ſpectes: nil prohibet plura ſæpè eſſe indicata: quàm ſint materię, id docet Viride vnguentum Galeni.

224 Nec deſunt exempla: vbi indicata numero materię ſuperent. En enim ſtomaticum Galeni pro inflammatione gulæ.

225. Illud tamen tanquam è tripode: melius medicamenta ex paucioribus componi.

226. Continua iam quantitas ea baſeos eſſe debet, quam indicans methodi proximè concludit.

227. Ita quidem, vt, cum ipſius, tum cæterarum partium doſi coniuncta, compoſitum illud ſit: quod exactè indicationis Medicæ ſcopo, gradu ac quantitate, ſatis faciat.

228. Pro qua re, gradu noto, diligenter ſimplicium circumſpiciendæ doſes: quas experientia primò genuit.

229. Mirum autem, quàm proportionis Geometricę ſtudioſa hic Natura exſtiterit, id enim magni Medici in alterantibus: vltimam gradus quarti doſin granis quatuor definitam, principij menſuram ſcrupulum admittere: eandemq́; deinceps, in temperatum vſque, auctionis analogiam magna conſtantia obſeruari.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

230. An & in purgantibus non dubium? latet autem exacta notorum claſsis.

231. Partium autem reliquarum eas eſſe doſes conuenit, quæ defectum baſeos expletur ę, eam poſsint in ſuum gradum & menſuram deducere.

232. Augentis quidem, ſi gradum ſpectes, is baſeos gradum excedere debet: corrigentis verò exceſſum, eſſe inferiorem par eſt.

233. Illud enim Medicis ratum: remiſſum intenſum remittere.

234. Et hinc de reliquis adiuuantis corrigentisq́; generibus faciendum iudicium.

235. Doſis autem, præaccepra ſimplicium illa, vt antè, ea decernenda, quam actura baſis expoſcit. Eius proinde non vna ratio fuerit.

236. Et fit ſæpe, vt vna eademq́; materia & augens ſit, & deducens: aut alijs vnà indicatis ſatis faciat: vt profectò, qua analogia doſeos termini conſtent, non ſat in promptu ſit.

237. Simplicis autem indicati ratione vix aberrabo, ſi partium ſemper minorem doſin futuram dixero.

238. In ijs, quę vſus notauit, medicamentis rationis ſubduplæ & ſubduodecuplæ terminis, baſis partiumque reliquarum doſes contineri, magni viri prodidere.

239. Illud interim cautè circumſpiciendum, vt vtriuſque ratio in optatum conſpiret effectum: ne dum doſi incumbimus, gradum neglexiſſe: aut dum huic, illam reliquiſſe videamur. Vbi & Medici requiritur iudicium, & logiſticæ peritia: & faciet eò gradus compoſiti inuentio.

240. Sed hac in parte magna opinionum diſsimilitudo: penè maior, quàm in graduum tributione.

241. Illud profectò mirum, eſſe qui Geometricæ exceſſuum analogiæ ſubſcripſerint: pro gradu tamen compoſiti conſtituendo ſimplicium quantitatis non vllam habuiſſe rationē.

242. Age enim, è quatuor ſimplicibus compoſiti, drachmas ſex facias: ita quidem, vt eò quòd cal. & hum. primo eſt receſſu, ſextantem tribuerit, æqualiq́; cum eo pondere conuenerit, quod fr. ſic. quarti eſt ordinis: paria autem reliqua contulerint ſymbola, tum quòd cal. ſic. tertiæ claſsis eſt, tum quòd fr. hum. ſecun-

ſecundę:non frigidum in fine primi efficies, & ſiccum in principio ſecundi, imò ne gradum quidem primum attinges.

243. Nam termini analogię conuenientium contrariarum, in gradu, qualitatum æquè multiplicari debent ſimplicium doſibus: facti homogenei componi. Tum enim ex ratione minoris ad maiorem contrarietatis terminum, communi contrariarum nomini, in aſſumptis partibus, quartus proportionalis, in terminos aut intra eos incidens, de gradu optato edocebit.

244. Pro γενέσεως autem oppoſita ratione ſat dictum Arithmeticæ peritis. An alligandi ars huc redundat?

245. Video id nonnullis placuiſſe: & olim mihi arriſit. Sed via admodum in errorem prona eſt. Sæpe enim & diſpares admodum doſes ſunt: & quantitas optata, pro medio alligarionis, inepta eſt, res vt illic cum ægri periculo coniuncta: ſic hic alligationis leges reſpuens.

246. Accuratius huc illa pertrahi poſſet putatę alligationis regula: quæ, doſeos vnius accepta vna parte, reliquam reliquis continuò tribuit, pro ſuarum tamen doſeon ratione. At ſic non præaccipitur, ſed inuenitur demum quantitas: quę an tuo ſcopo ſatisfaciat, haud ratum habebis.

247. Si plura conueniant, quorum ſingula, doſeos ratione, ſcopum expletura viderentur, facultatis tamen eius, vt ſimul in compoſitum conſpirare opus ſit: ex noto deſeon numero, quanta vna futura ſit, ex ſumma earum conſtabit, tum difficile non erit, aureæ regulæ ratiocinio, quantum pro ea explenda ſingula ſimplicia collatura ſint, veſtigare.

248. Quæ illud commodi habet ratio, quòd gradum non mutat.

249. Et hinc eſt, è compoſitis, Medicorum, iam vſu & experientia comprobatis, ſingulas inueniendi doſes, methodus facilis, nec deuia,

250. Exemplis hæ omnes, tum indicationum leges, tum componendorum medicamentorum rationes, in particulari aliqua tractatione confirmandæ ſuperſunt. Sed res ea alteri eſt tempori & loco reſeruanda.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 597 4°